

actus, quo duo jura sibi invicem relative opposita in unam eandemque personam concurrunt, & per hoc ipsum se invicem tollunt: Si vero concipiatur relative, tanquam modus & medium jus circa rem aliquam competens dissolvendi, habito scilicet respectu ad effectum quem producit, est modus jus circa rem competens propter alterius juris relative priori oppositi advenientiam & in idem subiectum concurrentiam tollendi.

VII.

Divisio.

Cum omne jus, quod circa rem habemus, quodque per confusionem amittere possumus, sit vel in re vel ad rem, idcirco Confusio non incommode videtur dispesci posse in Confusionem Juris in re, & Juris ad rem: Illa est, qua jus aliquod in re propter advenientiam alterius juris sibi relative oppositi perimitur: Hæc vero, qua jus ad rem seu obligatio dicto modo extinguitur.

VIII.

Causa Efficiens Remota.

Porro quo Jure introducta sit, cuique Legislatori originem suam debeat hæc nostra Confusio, de eo certi nihil habemus, extra tamen dubium videtur esse, hunc modum Juri Gentium quoque cognitum fuisse: certum enim est, contractus & ex iis provenientes obligationes, quæ præter alia jura objectum confusionis etiam constituunt, pene omnes Jure Gentium esse introductas. §. 2. I. d. I. N. G. & C. l. 5. ff. d. Inst. & Jur. Certum quoque successiones tum universales, tum singulares, quæ confusionem operantur, si non omnes, plerasque tamen ex eodem Jure descendere, quamvis postmodum Jure Civili varie iterum sint vel limitatæ & restrictæ, vel auctæ atque novis qualitatibus imbutæ, quid obstaret ergo, quo minus confusionem etiam ante natum Jus Romanum locum habuisse assereremus, si, quod æque Gentium ac nostro positivo Jure fieri potuit, contigerit, ut per successionem jura mutuum habentia respectum in unam confluiscent personam, præcipue cum ipsa negotiorum natura aliud non admittat, ut seq. thesis docebit: Plane Jure Civili receptum & confirmatum esse hoc